



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Caput 1. Variis Tucumaniae in Regionibus per Socios patrata narrantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

132
HISTORIÆ
PROVINCIÆ PARAQUARIÆ
SOCIETATIS JESU
LIBER SEXTUS.

CAPUT
I.
Tucumaniæ in Re-
gionibus varia perso-
næ patrata
narrantur.

1618.

*Joannes Viana
na Rectora-
tus in.*

*Blasii Gutie-
res heroica
facinora.*

*Soli ades
crematur.*

*Festæ diei
violator ca-
stigatur.*

CAPUT

II.
De Chileno-
rum So-
ciorum re-
bus.

*Per Valles
Cuiœnsis
excurrentur.*

*Senatus Chi-
lenonis in la-
dos pietas.*



NNO millesimo sexcentesimo decimo-octavo, Didacus Torres è Peruvia, quo stipis contrahendæ ergò iverat, redux, octo aureorum millibus Collegium Cordubense, Estecensem sedem, & Socios inter Indos versantes, majori affectu quam ope juvit. Mox deposito Cordubensi Rectoratu, post duos dequadraginta regiminis annos, impetrato ab Præposito Generali otio ita frui cœpit, ut non defineret omnibus esse utilis. Pro eo Joannes Viana ex expeditione Barbaricæ, in quâ multos mortales per Baptismum & alia Sacraenta curaverat, revocatus, Collegio Cordubensi Præpositus est. Ubi Blasius Gutieres, valetudinarii Præfectus, renovato Divæ Catharinæ Senensis & Divi Xaverii exemplo, cùm ob intolerabilem fœtorem collegæ abhorrent ab uno è nostris apostolicæ deformato, vim sibi faciens, applicato ore fluidam saniem largissimè suxit, prompto heroici facinoris præmio: nam, Sociis factum admirantibus affirmavit, liquorem illum melle dulciorem sibi visum fuisse. Is idem, præteriti facinoris dulcore incensus, ex putrido domestici Æthiopis carcinomate, tentatis aliis frustra remediis, pus labris expressit. Sed Sacerdotes nostri, quaquà latè patet Cordubensis ditio, putrida conscientiarum ulcera exsuctum frequenter ibant: cùm majori fructu, quò animorum salus corporum integrati præstat. In Calchaquinâ valle nihilo lentius perdita gentis morbos Socii persanare contendebant: & quamvis Barbari phæneticorum in morem manum medicorum refugiebant, tamen non pauci sacro Fonte immergi se finentes animarum remedium admisere. Socii Ethnicorum pagos adeuntes novam ædem Soli dicatam, turpe phanaticarum debacchationum receptaculum, firmatis priùs animis, face injectâ concremarunt; tantâ Barbarorum indignatione, ut ægræ eorum furorem evaserint. In Estecensi urbe cotivales duo Europæ mulierem quandam depérabant; qui summo mane die Dominico sibi invicem occurantes, unus alterum ad audiendum Sacrum, alter verò ad villam suam, maſtandæ Tygridis ergò, quam cognoverat in casles incidisse, ex adveso protrahere conatur: neutro alteri cedente, ambo in diversa lati, ad destinatum opus processere: sed qui ad maſtandam Tygridem iverat, tenerè se in casles ingerens, à fera adhuc viva laceras, turpitudinis & contempti Sacri penas dedit: salvo interim ob auditam Missam corrivali. Muliercula, audito casu, meretricias artes ad pedes Sacerdotis nostri abjuratum venit. In Cucuensi agro ab uno è Sociis ducenta & quinquaginta capita Baptismo expiata sunt. Aliorum Collegiorum excursores idem beneficium præstiterent, hoc & sequenti anno sparsis per amplissimas regiones Barbaris.

IN Cuioënsi Provincia Andreas Agricola Germanus, recens ex Europa adiectus, & Christophorus Deodatus, egregia dabant vitæ Apostolicæ documenta, per cursis magnâ felicitate Ucoënsi, Cauruanâ & Gliacoranâ vallibus, multis Barbaris in his locis ad Christum de novo adductis. Atque, ut tantorum laborum fructus diurniores essent, effecit sedula Senatus Regii Chilensis pietas, diplomate priuantis dominio Indorum eos, qui è sedibus paternis Cujoënsis Provinciae indigenas trans montes ad regni interiora servitum educerent: cuius diplomatis authores cùm

Socii